

CORPUS THOMISTICUM

Sancti Thomae de Aquino

Tria retinent

sermo authenticitate dubius

Textum a L. J. Bataillon 1984 editum in

"Archives d'Histoire Doctrinale et Littéraire du Moyen Âge"

recognovit Enrique Alarcón ac instruxit

Pars 1

[91879] Tria retinent, pars 1 Tria retinent pigros in pigricia sua ne surgant. Timor pusillanimitatis. Prou.: *dicit piger: leo est in uia*; hoc dicit piger quando uidet aliquam asperitatem, credens se statim deficere si illam sustineret; *leena est in itineribus*, id est, dicit etiam: fragilis sum, non possum sustinere. Sed talibus dicitur Prou. XXIII: *usquequo, piger, dormis? Surge audacter quia dicitur in Iob: rugitus leonis et uox leene contrita est*, et cetera. Rugitus leonis, id est, diabolus, deuictus est, unde in Io.: *confidite, ego uici mundum*; leena etiam, id est omnis fragilitas, deponenda est quia contrita est per uirtutem crucis, unde Apostolus: *vetus homo noster crucifixus est*.

Pars 2

[91880] Tria retinent, pars 2 Secundum quod retinet est amor, qui duplex est, scilicet amor proprietatis suorum exteriorum. Prou.: *sicut ostium uertitur in cardine suo*, et tamen non mouetur, a cardine scilicet, *ita piger in lectulo suo*, id est in diuiciis ubi ad modum lecti requiescit; per predicatorum uertitur sed non mouetur. Alius amor est proprii corporis. Nolunt enim asperitates aliquas sustinere. Prou.: *ascondit, piger scilicet, sub assellas manus suas et laborat si ad os suum conuertit eas*. Contra quos dixit Apostolus: *hora est iam nos de sompno surgere*, et alibi: *Karitas Christi urget nos*.

Pars 3

[91881] Tria retinent, pars 3 Alii enuie in sua pigricia detinentur quibus uidentur sua bona sufficere. Talis erat ille diues qui dicebat: *anima mea multa bona*, id est uirtutes, *habes reposita in annos plurimos, requiesce*; non surgas cum aliis ad matutinas. Sed ei dictum: *stulte, hac nocte*, et cetera. Ab hoc errore reuocat scriptura illuminans intellectum, in Ps.: *Emitte lucem tuam et ueritatem tuam; ipsa me deduxerunt*, non requiescere fecerunt.

[91882] Tria retinent, pars 3 nota 1 Suple que dicit Salomon: *Quecumque potest manus tua*.

[91883] Tria retinent, pars 3 nota 2 Efe. VI: *surge qui dormis*.

© 2006 *Fundación Tomás de Aquino quoad hanc editionem*
Iura omnia asservantur
OCLC nr. [49644264](#)